

350

348

354

344

359

339

399

299

449

249

Ende

Anfang

335

expulsi de Jerusalem, sed tantum latini, cum quibus agebatur bellum, et non alii orientales. Expulsis autem latinis orientales confoederati et jurati Soldano sepulchrum Domini possederunt, ut patebit. Imo, nec omnes latini ab Hierusalem migraverunt, sed plures manserunt, jungentes se Sarracenis, quos Papa excommunicavit. Legimus etiam, quod Christiani victi a Sarracenis, antequam de Jerusalem egredierentur, convenerant cum iis, ut peregrinos advenientes de latinis intromitterent. In quod libentissime consenserunt. Et ideo Soldanus consuetam eleemosynam, quam rex Jerusalem per singulos dies dare solebat peregrinis, in hospitali sancti Johannis existentes, solvebat eo modo, quo rex Jerusalem fecerat. Ideo nihil est de asportatione Sancti sepulchri. Verum est tamen, quod legimus, templum sancti sepulchri fuisse aliquando dissipatum, et etiam ipsum sanctum sepulchrum, numquam tamen ex toto fuit erutum. Hujus rei experientiam talēm accepi. Accepi candelam accensam in ecclesia sancti sepulchri, dum in ea vigilarem, et ad dominicum monumentum accessi, curiosissime perscrutans, an aliquid non marmore tectum possem videre, et ab extra per circuitum totum inveni marmore tectum. Ingressus per primum ostium anterioris capellae parietes utriusque lateris marmore vestitas inveni, sed parietem ante faciem meam, qui dividit speluncam anteriorem ab interiore, in quo est ostiolum ad dominicum sepulchrum, nudum inveni, et adhibito lumine petraeam parietem vidi, non quadris compositam, sed integrā, in qua instrumentorum ferreorum signa manifeste apparent. In superiori tamen parte videtur ruptura fuisse, quae lapide et caemento est resarcita. Ex quibus videbatur mihi, quod dominicum sepulchrum fuisse aliquando destructum, sed numquam ex toto erutum, et jam stat reparatum, et sicut hodie stat, ita stetit plus quam ducentos annos, nisi iam est diligentias marmore vestitum, ne peregrini de parietibus lapisllos eruant pro reliquiis, et propter eandem causam (**B**) deposita fuit a sancto sepulchro tabula cum tribus foraminibus, de quo supra habetur, quia peregrini foramina cum instrumentis ferreis forabant ad accipendum aliquid. Quamvis peregrini semper conati fuerint recipere particulas de sancto sepulchro, numquam tamen ad-

